Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31476
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



is quod bonum est: ut
habeat unde tribuat
necessitatem patienti.
Dimitte nobis debita nostra.
Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Amen.
Ecce ancilla domini fiat mihi secundum verbum tuum.
Et discessit ab eis angelus.
Surgens autem maria abiit in montana cum festinatione in civitatem iuda.
Et intravit domum zacharie et salutavit elisabeth.
Et factum est ut audivit salutationem maria elisabeth exultavit infans in utero eius.
Et repleta est spiritu sancto elisabeth.
Et exclamavit voce magna et dixit benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.
Et unde hoc mihi ut veniat mater domini mea ad me.
Ecce enim ut facta est vox salutationis tue in aures meas exultavit in gaudio infans in utero meo.
Et beata que credidisti quoniam perficientur ea que dicta sunt tibi a domino.
Et ait maria magnificat anima mea dominum.
Et exultavit spiritus meus in deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancille sue ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius.
Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.
Suscepit israel puerum suum recordatus misericordie sue.
Sicut locutus est ad patres nostros abraham et semini eius usque in sempiternum.
Et mansit maria cum illa quasi menses tres et reversa est in domum suam.
Ioseph autem vir eius cum esset iustus et nolens eum traducere voluit